

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvrzfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

XXIII. Res Sueo-Gothicae

urn:nbn:de:bsz:31-102564

isti⁹ exemplo instituisse ordinem aurei velloris: ego sane indicia habeo ultra reges Oldenburgico sanguine oriundos initia ordinis istius quaeri non debere: sed quis ex his nominandus autor sit, dissident ab se scriptores, et convenienti ordine alibi prosequemur, contenti hic meminisse, REGEM potentissimum CHRISTIANVM V. qui post rot seculorum interiecta intervalla revocat optimos ritus, vigoremque studiis pristinum reddit, regnumque suum tranquillum praestat et felix, condidisse novo numero auspicio Ordinem, DANI FRATRIS cognomento celebratum, cuius ut primordia egregia fuerunt, ita saustissima incrementa et successus tanto nomine dignos optamus.

§. VI. Nunc tandem ut variaverit regni huius fortuna, et res, quae raro eadem sunt, neque semper procedunt ex voto, praecipites iverint interdum: tum quomodo restitutae benigniore auspicio fuerint, ac magnitudine imperii et fide subiectorum populorum etiamnum firmentur ac adolescent, scribendum opportune esset, nisi scirem id futurum instituto longius, et iusto volumine alias explicandum. Itaque hic usū optimum iudicio et officio meo conveniens omnino, suscipere vota pro CHRISTIANO V. eo REGE, cuius et multae cum Domo Saxonica necessitudines sunt, et de laudibus fama omnium sic consentiens, ut propter aequum imperium maximus, propter tanquam administrationem felicissimus appellari suo iure debeat, et referri in exemplum posteris, praesertim quod in hoc temporum motu rerumque incredibili perturbatione studia pacis sectetur ipse et servet.

XXIII. RES SUEO-GOTTHICAE.

SVeonum, et qui iuxta hos eiusdem originis (a) sub uno Martio regno colunt, Gothorum acta bellaque referam, et quibus artibus creverint utriqve ac floruerint, tum quae disciplina, quae gloria domi militiaeque fuerit, memorabo.

(a) Svedi velut septentrionis sui Aborigines et domestici imperii tenaces ab se Gothos Cimbrosque effuderunt, Goldast. de reg. Boh. l. 1. c. 5. p. 7. Quod ex Crantzii Svecia l. 1. c. 1. et annalibus Gotlandicis hauist, unde constat, Svedos se olim sere patriis sedibus continuisse, Gothos autem longis a septentrione itineribus profectos, vehementi et repentino impetu in Romani imperii fines penetrasse. Hinc Paulus Iovius l. 1. Hist. sui temp. Gotiam affirmat Romanorum malo clariorem, quam Svediam. Pulchre Crantzii, Sveciae, inquit, domi et vicinie in locis nomen praevaluit: foris autem et in longinquā militia, Gorborum gloria sublimioribus longe titulis inclaruit. Vnam utriusque gentis originem indicat David Chyraeus in Svec. p. 113. et ex eo Matth. Lungwitzius de Gust. Adolphi adventu in Germ. p. 25. Discedi.

scidimus a Iodoco Ludovico Decio, qui Gothis tribuit origines Sarmaticas, l. 1. ead^{is}, Pistorian. Multo rectius sentit Iohannes Matthias a Svedetis in lib. de orig. Bobemorum, cui plurima debet Melchior Goldastus in commentar. de Bob. regn. Iohannes Ianus Svaning, olim Cimbros appellatos esse approbat, interv. 2. iudicium Cimbriae p. 11. Huic subscrimit Olaus VVormius in monumentis Runicis p. 28. Contra quam nos Danos Cimbrosque a Gothis secernimus, licet non inficias eamus, utrosque ab ultimis Germanorum esse oriundos, et finitimas saepe sedes tenuisse. Plane sicut Langobardi, et alii multi, origine sunt Germanni, et separatum tamen a Gothis constituunt populum separatamque gentem. Henricus Spelmannus, antiquitus Gestas Iutasque dictos, asserit: nec dissentit Io. Matth. a Sudetis, et utrosque sequitur Rutgerus Hermannides descri. Svec. p. 15. Conf. Io. Nic. Strelövius in Chron. Gothland. A. 1633. ed. ac novissime Ioh. Loccenius in Antiq. Sveo Goth. Iod. Lud. Decius etiam nominis huins ambitu Dacos Vandulosque comprehendit, l. cit. Sed is plus saepe, quam decet, liberalis est. Ex Veteribus Gothicis res illustrarunt Ior- nandes, Episcopus Ravennas, quem iure commendat Krantzus, Isidorus His- sellensis, cuius extat Chronicum Gothorum, cura Fr. Lindenbrogii evulgatum, Procopius Caesariensis, quem laudat Decius. Nec nunquid addam de Paulo Orosio, Gui- done Ravennate, Flavio Blondo, et his ac horum similibus. Ex recentioribus no- mino Iohannem, Magnum, Upsiloniae Praefulem, qui odio instauratae per Gustavum I. religionis se ex Svedia proripuit, secumque Romanum attulit praecipua Svedicarum rerum monumenta, Io. Loccenius Hist. Svec. l. 6. p. 258. Lungwitz, de Archiep. reg. Sved. p. 94. Is ob laudem historiae magno numero est, et in rebus ultimatæ antiquitatæ evolvendus cum delebitu, praesertim cum Annii Berosum, et similes al- legat. Fratrem habuit Olaium Magnum, et eruditione secundum sibi, et, quod Au- gustini Mascardi iudicium est, incerta saepe ac fidem excedentia proceris affirmantem. Opus alioqui satis forma et stylo luculentum est, atque superiori seculo edi- tum Romae, et nuper A. 1617. novo redditum praelo: Olai Magni breviarum altera vice Lugduni Batavorum A. 1652. sat nitidis excusum typis est.

S. II. Horum ab ultimis, quoad respicere possum, temporibus, magna virtutis (b) prudentiaeque opinio, ac prope incredibilis augendi imperii cu- ra fuit. Otium, quod corrumpere animos solet, exosi, virorum implere mu- nus et facere imperia, et evertere optaverent. (c)

(b) Testis est Isidorus in Chron. Gotborum, Gotbos tantam rei bellicat famam adeptos, ut vitaverit Alexander, pertinuerit Pyrrhus, exhorruerit Caesar. Ior- nandes de rebus Geticis p. 86. comprobatur, sapientiae studiis viceisse omnes barbaros, et cultu plane Graecorum similes fuisse: quod adeo documento est, manu perinde ac ingenio valuisse, et praesentes ad particula animos et egregia consilia attulisse. In primis veterum sermone celebrantur carmina Gothica, quorum meminit dicto lo-

co Iornandes, et literis Runicis composita recitans rerum septentrionalium scriptores, Saxo Sialandicus (vulgo Grammaticus) et Olaus Magnus, ac post hos Olaus VVormius in monum. Run. et Matthaeus Lunguu. de reg. Sved. Sed reperias apud hos, quos desideres ad argumenta historiae certae. Non secus, atque apud Germanos, quos multis filiis laudibus onerant, cum veris acquiescere debuissent. Nec vero praeterierimus, Svedos etiam quandoque sedibus suis egressos, regnum apud exterios condidisse, ac Sverorum nomine venisse aeo Iornandis, qui p. 125. de rebus Geticis commemorat, Ricariam Sverorum (id est, Sverorum) regem, Theodorici Gotborum regis cognatum, et ut plane loquar, ab una stirpe et gente oriundum fuisse. Assentiantur ex doctis Reinerus Reineccius, Franciscus Gwillimannus, Iohannes Stumpfius, viri insignis iudicii atque accusationis: cumque his ferme omnes rerum Svecicarum conditores Peterm. Etterlinus, Felix Faber, et Martinus Crusius.

(c) Id liquet ex tot migrationibus Ostro- et VVestrogothorum, sive ut alii scribant, VVifegothorum, quae nomina perperam interpretatur Gotfridus Viterb. Chron. part. XVI. At eo melius Monachus Nuss. in M. Chron. Belg. p. 11.

§. III. Romanorum iidem saepe, si vetustissimos repeto, amici, interdum hostes, Germanorum fratres et propinqvi, (d) ex Scandina via(e) velut communi gentium nostrarum sede exiverunt.

(d) Hoc non ambigua fide traditur, et vel ipsius Gustavi Magni confessione sustinetur, qui A. huius seculi supra millesimum sexcentesimum septimo et vigesimo, 12. Nov. Germanis, qui tunc inter retinenda religione spem, et amittendae metum versabantur, copiam faciebat redeundi ad pristinas antiquasque sedes, et communis Sverorum Gotborumque utendi iure. Ac has, credo, literas innuit dominus Goldastus, dum Germanos ad repetenda Aboriginem loca a Gustavo Adolpho invitatos accitosque, ex dignitate Veteris memoriae scribit l. 2. c. 5. de Bob. reg. Praeclare in hanc rem Crantzus retulit, Gotbos Cimbrosque de magnae Germaniae finibus, quasi examina, egressos fuisse, l. 1. Suec. cap. 1. Multis ante Crantziū seculis Iornandes, sive ut alii signant, Iordanes literis mandavit, Scantiam (quam nos Scandiam, seu paulum productio nomine Scandinaviam appellamus) quasi officinam gentium, aut, ut idem loquitur, velut waginam nationum ab se emississe Gotbos, de reb. Get. pag. 38. cuius situs pingitur, apud Strabon. rer. Geog. p. 327. et Ptolomaeum in Germaniam magna, tab. IV. et Schonland. Tab. XIII. inde exisse in Scythiam produnt: Iodocus VVillichius in Chron. Tac. Germ. p. 416. Quod recordari debuisset Monachus Nussensis, qui ignorato migrationis discrimine Scandiam Scythiae insulam vocat, M. Chr. Belg. p. 11. Longe aliud cognoscere licebat ex Iornande, sec. VI. scriptore. Albertus Crantzus nimius animi est, cum negat, in Scythiam discesisse, quod tamen ait Iornandes. Quanquam commoda

da forte interpretatione iuvare possit Monachus Nussensis, si Scythia non quaecum, sed Gothica, sive Teutonica, intelligatur. Eo conf. Rodericus Sanctius et reliqui scriptores Hispaniae illustratae, qui et erudite et diligenter admodum investigant res Gothicas, accepta VVestrogothicae migrationis occasione. Sed revertamur ad Germaniam magnam, longe porrectam ultra Albim, et Gothorum Svedorumque fines olim complexam, quod ex Plinio Tacitoque evincere in proelivi est. Vid. Petrus Bertius com. rer. Germ. l. 1. p. 179. Nic. Reusnerus de Vrb. Imp. p. 8. Ut recte iuxta et eleganter Augustus Buchnerus Svedos in Teutonicae originis partem, et unius linguae commereium adsciscat. Orat. Paneg. II. ob Victor. Lips. De Origine reddidimus paulo ante: consentiuntque in Tacitum animadversores, Scythes Europaeos (id est, Gothos Svedosque) a Germanis non esse excludendos. Iod. VVillich. l. supra cit. Quod ad eadem linguae elementa communemque sermonis contextum pertinet, graviter affirmat Rodericus Toletanus, Teutoniam, Svediamque unam habere lingvam, idiomatibus tantum distinctam. Consentit Procopius scriptor Iustiniani aequalis et perspicillae gravitatis fideique l. 1. Vandal. Nempe adeo una opera et Teutonum laudes, et tot Svedorum Gothorumque triumphos enumeramus. De terrarum, in quibus consederunt, ambitu addendum censeo, aliis finibus olim, aliis nunc descriptam discretamque Germaniam esse. Dehinc multam diversa existimari oportere, iudem Germaniae Magnae limitibus includi, et eodem imperio regi. Nam extra controversiam est, in veteri Germania magna diversas a ceteris Gothorum Svedorumque publicas fuisse. Propterea Svedi nec a Romanis, nec a Romano-Francis Teutonicis Imperatoribus unquam redacti sunt ad unius imperii leges. Augustus circumvecta ad Cimbrorum promontorium classe, non occupati, sed navigati saltem Oceani famam accepit. Vid. post Plinium Petrus Bertius l. c. p. 89. Carolus M. in suis Cimbrorum Danorumque haesit, ad Svedos non pervenit. Sive propter inopiam rei navalium, sive ob metum Nordmannorum, ferociissimae, et facile ad arma irritandae gentis, cuius et robur et portio Svedi erant, autore Adamo Bremense H. E. l. II. cap. IX. Quin et hoc notione aliquando distinguntur Svedi a Danis, ut colligo ex Albrecht. Stad. ad A. 948. Simul et hinc ostendo, Daniam Ottoni M. factam esse velle galem, non Sviđiam. Andreas Severinus Velleius in Not. ad Bremensem l. 1. cap. 48. non Danos Aborigines, sed Frisiae Nordmannos, qui ad faciendam piraticam enavigaverant, isto loco cupit denotatos. Sed ea interpretatio manifesta falsi est; et vel ex solo Abate nostro eius contrarium indicatur. Loquitur enim Abbat tam evidenter, ut vel taedium moveat aliena explicatio Velleii. Haroldus, inquit, Ottoni subiicitur, regnumque ab eo suscipiens, Christianitatem in Dania recipere propoundit, et ut Otto S. Blasianus cap. 28. tradit sub homine, quod hodie homagium dicunt. conf. Abb. A. 1163. Atqui Haroldus non Frisiae regulus, sed Daniae Rex erat: praterea regnum suscepiebat ab Otone, suscepiebat aurem parendi, id est, tributaria ac postea bente.

beneficiaria lege. Qvod de Svedia nullo probari exemplo, nulla essori ratione potest. Ea ex causa Gustavus M. permolesto tulit sibi in literis a Caesare Ferdinandio II. redditis adscribi titulum nostri Principis, eo quod in se ac Svediam Caesar res nil iuris, nil imperii haberent: quandoquidem a Deo summae rerum impositus esset, nec ab alio penderet, praeter Deum. Verba in hanc formam concepta sunt. Derenthalben dann wir auch die Schreiben der Räys. May. in welchen/ und deren Überschrift / J. May. Bos. (vñfern Fürsten) genennet/ vnd gleichsam / als wann wir Ihme mit Unterthänigkeit verpflichtet waren/ angerdet/ neuwlicher Zeit in keine Wege haben annehmen/ oder zulassen können/ sintemahl wir auch nicht einen Erdschollen oder Fusses breit vñ der Räys. May. besitzen / sondern was wir in unserm Reich inn haben / das haben wir alles Gott / und dem Schwerd / und unser gerechtester Sach / durch die bisshero mit Götlicher Gnad geführte Krieg / und erhaltene Victorien zuzuschreiben: Epist. 13, Octob. A. 1630. Stralsundio ad Senatum Electorum missa. Significanter scriptum Was wir in unserm Reich: nam longe aliter comparatum est cum principatibus ac ditionibus in ambitu imperii Germanici sis, de quibus publica pacis Osnabrugensis formula cattum est. Instr. pac. art. 10. §. Tertio imperator. Summatim, Caroli M. Ottonique M. expeditionum limes mare Balticum fuit: ulterius nulla nostrorum arma proferri potuerunt. Plinius l. 2. cap. 13. suo tempore magnitudinem Scandinaviae tantam esse scribit, ut nondum penitus explorata fuerit. Solinus cap. 29. assentitur. Non capio hic, quod Rutgerus Hermannides allegat, qui Solino contra Solinum adscripsit contrariam opinionem, descript. Svec. p. 11. et 12. Multo rectius 10. Magnus praeferat. Hist. cap. 1. reddidit de Solini mente. Eidem et Baltiae cognomen inditum fuisse, affirmant veteres, et ita forte constat origo Germaniae Cis-Balticae.

§. IV. Qyanquam auctores habeo, in Gothilandia (e) consedisse paullum, et inde, ut ausu impetuque prompti erant, egressos, rupisse imperii limites, et cohortes legionesque suas deduxisse fere per universum orbem terrarum. Sed haec atque talia iactantur in vulgus, et nullum nisi a scribendi audacia subsidium habent. Haud enim est, ut credam, tam exiguum spatio insulam capere potuisse tantam gentem, in cuius nomen atque imperium tot terrae gentesque coaluerunt.

(e) Notat Vpsalensis Praeful Volaterranum, quod ex Ablabio, qui fidelissime res Gothicas composuit, cuiusque historiae multum tulit acceptum Iornandes, eruat buius sententiae rationes, ut quae ludibrium apud suos, contemptum apud exterros mereatur. Quum non quidem rationes in promtu sunt, cur negetur, inditum Gothilandiae, sive ut Saxo Sialand. scripsit, Gutlandiae a Gothis nomen, digresso prius in vicina populo, quam ad longinquaque profisceretur, Crantzius l. 1. Svec. c. 3. rationes vero magno contra numero adferri possint, cur negari penitus debeat, Gotbilan-

landiam, quam Gotbiscantiam extulit Praefat Ravennas, tam ab stirpe sua diffusum Gotborum genus per angustis suis finibus nequicquam continuuisse. Eo vid, Iornand. de reb. Get. p. 83. Crantzius in Hist. Svec. l. c. 2. Iohannes Magnus l. 1. c. 7. Gotb. Sveonumque Hist. conf. Rodericus Tolitanus, Rodericus Sandilius: ex nostris, licet decoro historico dispar, Matthaeus Lungwitzius. Piget hic recensere controversias Veteres de Gothilandiae iure, quod dudum Svedi Danicique Scriptores restulerunt in suis annales. Adiacet Ostrogottiae litoribus, ut stria et tabular monstrent: Ostrogotthia autem in Svedorum ditione est, et hinc pro Orogotthiae accessione habent Sveones et superiori tempore recuperatam possident neno. Conf. Io. Loccenius Sved. p. 238. 244. In primis Olaus Magnus sept. Hist. epit. l. 2. cap. 22. et lib. 17. cap. 1. Rutgerus Hermannides de script. Sved. p. 417. Sed non refert nostra, ut haec et horum similia disceptemus.

§. V. Haud mediocriter hic solicii sunt multi, et simul intenti in tot susceptarum migrationum causas; praecipue perqvirendum existimant, qvid fuerit, quod olim has gentes accenderet ad tam longinqua itinera, et tot ac tam impeditas difficilesque vias ineundas. Ego, si quod in animo est, referre ingredior persvasum habeo, insignem quendam et ferme quiescendi nescium vigorem, (f) quo duce atque instinctore nil factu arduum, aut invium erat, excitasse hos, mentibus impetus et studium migrandi. Hinc et ultionis (g) saepe amor, et ostendendae apud exteris virtutis (h) cupido animos incesserunt. Forte etiam quandoque tenuis res (i) et necessitas, et familiarum multis modis diffilarum auctarumque incrementa (k) effecerunt, ut recederent ab suis finibus, et alienos occuparent, alienorum opum causa.

(f) Inest quasdam in animis Septentrionalium vta, qua cierunt ipsi, ut quietem atque otium non ferant, sed concientur facile et gaudent motu; exemplo sunt Vandali, Heruli, Langobardi, Suevi, Cimbris, et qui Septentrionem colunt omnes, in primis Gotbi. Sionesque ex Scandia et Germania magna, quam sic notione historica dicimus; effusi. Nec semel, et iugue Iohannes Magnus affirms, Gotbos bellico ardore concitatos, terras reliquissime vacuas, et prouissose in Scytharum regiones. H. l. 1. cap. 22. Cuius rei causas naturales docte eruit Medicus Hafniensis Th. Bartholinus.

(g) Paulus Iov. H. l. 1. p. mib. 2. recenset Gothos totius orbis iniurias ultissimae visus esse Io. Magnus Hist. l. 1. cap. 14. inter praecipuas Goticas migrationis causas refers vindictam hostium.

(h) Iterum multa asseveratione tradit Io. Magnus Gothos, quantum viribus possent, experiri voluisse, ibidem. Pereleganter scribit Erycius Putanus, ostendisse Gothos, rerum dominos posse debellari, Hist. Insab. l. 1. p. mib. 8. Et licet colligere ex Ior-

XXIII. RES SVEO-GOTTHICAE.

395

ex Iornande, tantum tribuisse bellicae gloriae, ut Deum bellorum apud se genitum dicerent, de reb. Get. p. 86.

(i) Quod minime ducimus Gothis criminis dandum, multo minus Gothis Aboriginum patriae imputandum, cuius inopiam allegant multi ex causa naturalis regni huius sterilitatis, quod recte refellit Io. Magnus allegato loco. Nec tamen diffitebor, Gotbos ab suis Aboriginibus egressos eo rediisse paupertatis, ut prope vi-
tus cultusque deficerit, quod confirmare innumerato est ex Iornand. de reb. Get.
pag. 138. collat. cum 167.

(k) Subscribit sententiae Olaus M. in ep. dedicat. historiae Iohannis fratria ad Ericum electum Svediae et Gothiae regem, quum prodit Gothos nimium auditos, seu quo ipse usitur stylo, ob nimiam multiplicationem, novas sedes quaesturans sobolem emisisse. Eratque id prisci moris, et gloriae plenum cum apud Graecos, tum apud alios quosvis populos. Dionys. Halicarnass. l. cap. 16. Simile exemplum habet Iustinus XXXIV. IV. 1. conf. G. Hornius H. imp. p. 35.

§. VI. Postea vero, quam migraverunt nostri, et varium nomen (l) et fortunam saepe diversam (m) sortitos accepimus. Sed erigebat fortitudo animos, et manu alioqui promptos magis aciebat, nec tam opes semper et regna, quam expeditionum gloria in oculis erat. Siones industriam exercere domi, et procreare Coloniis sobolem contenti, Aboriginum sedes imperiumque tuebantur. (n) Goths apud exteriores pugnare avidi, sedibus exciti suis armorum auspicia sequerentur. (o) Rugorum Venedorumque campos brevi tempore insederunt. Inde longius profecti Scythiam (p) cultu vacuam, et coelo situque asperam adierunt, nil divitias, propter quas sui subinde oblitiscerentur mortales, nil pingue Pomeraniae Sarmatiaeque solum, quod deiicere vigentes spiritus, et langvorem conciliare animis poterat, aestimantes. Vnum tandem inter tot pericula laboresque maximos praesenti gentis fortunae sufficiebat, occupasse Maeotidis paludes. (q)

(l) Nunc Getas, nunc Gepidas, suscepit migratione, vocatos memini. De illis vid. Iornandes, Crantzus, Io. Matthias a Sudetis praedicti locis: De his Io. Magnus Hist. l. c. 15. quos qui numerant in Slavia, et horum parte, Valachis, i.e. neque origines, neque migrationes gentium redesciunt, et se sciunt, hanc vere interpretantur. Vid. Iornandes de reb. Get. p. 98. Nibilo secius existimo de vocabulo Seytharum, quod non attulerunt Goths, sed acceperunt. At hoc vid. infra. Sed et saepe variavit usus pronunciandi Gorborum nominis, tametsi idem genus erat et origo communis. Memorat Carolus Sigonius l. 1. de imp. occid. pag. 12. et, quod opinor, ex eo Petrus Bertius com. rer. Germ. p. 73. Vittungos, seu VVifegottbos, et qui ex horum posteritate oriundi erant, Grutungos et Tervingos: De Ostrogoth-

Ddd 2

this

(t) Nominamus Iornandem de reb. Get. p. 107. Paulum Diaconum, qui comprobat, Romanos, ne primum quidem impetum Gothorum sustinuisse p. m. 348. Conf. Euseb. in Chron. p. 187. et Orosius lib. 7. p. 397. qui bellum lacrymabile ex parte Romanorum vocant: causa bellū traditur penuria, autoribus, quos modo laudavimus, Iornande, Eusebio, et Adone Viennense in Chron. p. 146. Afferit Ol. Magn. epit. lib. 2. cap. 23. Gothos hos, qui foris militassent, Vrsae imaginem in signis incisam gestavisse, eoque indicio, bellatricem Gothiam, et viris armisque validam ostendere voluisse.

(u) Thraciam, Daciamque obtinuisse, satis fuit. Conf. Iornand. p. 107. Ab hoc tempore Romanorum foederati, Regibus Fridigerno et Athanarico, martii ipsum cum Martio populo, pacis societate coauerunt, p. 108. donec Alarius Italiam non dominatus, sed praedae causa ingredetur, pag. 110. Thomas Bozzius dum agnoscit antiqua haec Reipublicae Romanae vulnera, simul aestimat Gothorum moderationem, ut qui aris templisque pepercissent, et in bello etiam belli iuris observantes fuissent: De Ital. stat. p. 222. et l. Iornandes, Socrates l. 9. cap. 9. Conf. Paulus Orosius l. 7. cap. 39. et August. de C. D. in eandem sententiam: nec dubitat porro Bozzius confirmare, plus sanguinis bello civili Caesaris, et Sullae, quam Gothicoprofusum esse, p. 398. lib. alleg. Atque id hauis ex Paulo Diacono, qui refert quidem subiecto aedibus igni foedasse Romanam, sed Iornandes p. 110. nil de incendio memorat, forte quia leve, et ut Diaconus tradit, aliquantarum aedium incendium fuit. Sed multum id distare ab incendio Iulii Caesaris constat, ibid. p. 356. Nec tamen idem omnium Gothicæ regnum ingenium fuit. Successor enim Alarici Ataulphus, de quo est apud Iornand. pag. 56. obliterare prorsus Romanorum nomen, et pro Romania Gothiam appellare, animum induxit, Oros. l. 7. cap. 43.

(x) Velut digito monstramus repetitam Gothorum migrationem, qua Hispaniam, eieclis inde Vandalis, impleverunt, Machizv. lib. de migrat. pop. lo. Matth. a Sudetis, et cuius nunc praeccipue testimonium valet, Paulus Diaconus, qui ascensit Pyrenæis iugis, Hispanias invasisse, affrat, p. mib. 268. Præcipue videatur Isidorus Hispalens. in Chron. FFVsegot. Comprobat Iornandes p. 114. de reb. Get. Gothos adeo saevisse in Vandalo, ut, si fortuna coepit, prorsus apparuerit, ipsos in Africam persequi voluisse.

§. IX. Refert nostra hic, ut explicemus numerum modumque expeditionum a Gothis suscepitarum, earum maxime, quas fama et fortunainsigniores fecerunt. (y) Primus, a quo auspicati historiam sumus, ad Vistulam exitus orientales, occidentalesque Gothos armorum atque itineris societate copulavit. Ab eo tempore et amplior terum gerendarum occasio, et multo maior migrandi ardor fuit. (z) Vistulae ambitum emensis, Danubius (aa) restabat, dignum novi belli praemium, propter quod tam longos terras.

terrarium tractus regionesque maxime dissipatas peragrassent. Qvo rerum statu vix erat, qvi Gothorum impetum sustinere, qvum vel iam in ipso imperii Romani aditu pugnaturi starent, Caesaresqve (bb) rerum dominos adorirentur armis, qvi cum et perhorrescerent adventum, et clades ominentur sibi, donis foederibusqve Martium a Septentrione populum placaverunt. Si tamen resisterent hi, et ad reprimendam transiti limitis audaciam consenserent pugnas, Goths ira doloreque excitati, et velut ulturi iniurias, (cc) neque magis copiis, quam animis aucti dimicarunt. Si ferro fecissent iter, non casu, sed consilio alii in alias terras processerunt, qvidam sedes occidas, coeteri, qvas monstrat oriens, elegerunt. (dd) Suiones interea ut dignitatem servabant domi, ita per Gothos, velut propagines sua stirpis famam atque decus longe maximum ad exterros protulerunt. (ee)

(y) *Vnum olim apud Gothos antiquitatis genus, Gothicā carmina, Ablatio Iornandique celebrata, et temere a Ph. Cluverio vocata in dubium, memorant insignem hunc egressum, provocantque ad ea indigenae et exteri, consentiunt scriptores antiqui, accedunt veteres descriptiones locorum: et si vel maxime historia non attingit spatium hoc, nec ad vetustissima retro Gothorum carmina facile ascendit: suppetunt tamen argumenta alia, ex comparatione operum prisciisque Gothicī moris eruenda. Ut iusto audacter sit Antonius Bonfinius, qui ver. Vng. Decad. 1. l. 2. assertit, Iornandem undique, ut ipse ait, mendicare conjecturas verisimiles in honorem patriae gentis, negatque insuper ex Scandia egressos esse Gothos, p. 33. et 35. Edit. Basil. Vid. Olaus Magnus, elegans rerum Septentrionalium Scriptor, et, quanquam Augustino Mascardi dissentiente, Conringio imperse laudatus est. Helmstad. p. 6. Quid saepe evenire usū, neminem fugit, et tale quid in historia Germanica ostendere, in expedito est. Constatque hos de priscis Germanorum Bardis, teste Amm. Marcellino l. XV. collat. cum Tac. de mor. German. et de vetustissimis Celtis ex Athenei lib. 6. Reinece. ad Henr. Rantzov. inscript. Abb. Stadens. Non hic possum, quin exclamem, cum Iohanne M. l. 6. hist. cap. 15. Si Gothis aequve doctus scriptor accidisset, quemadmodum Romanis, multa utique aliter de sua gente tradidisset, atqui haec tenus Romani, qui multa tradiderunt infra laudem Gothicā gentis. Interea vid. Coring. in allegato libro de situ Helmstadii percuriose conscripto, p. 2. Atqui et hic discedo ab iis, qui Germaniae magnae praecipuam partem, unde Gothi exiverunt, a non Germanis antiquitus habitatam credunt.*

(z) *Nempe Gothi, quotquot emigraverunt, nec stabiles sedes, nec eadem potentiae suae domicilia habuerunt. Contra quam cum indigenis comparatum fuit, quorum et fixa et antiqua regia fuit SACRA, Ol. Magn. l. 2. c. 18. Conf. Andr. Svev. Velleius ad Adamum Bremens. H. E. l. 1. c. 50. qui exemplo Adami de reg. Dan. Scaranan extulit.*

Sed

Sed nostri illi modo tis Baltiam, ut cum medio aevo loqui liceat, modo tis Viadrum, Visulamque et Danubium constituerunt: modo a Donastro (ita Iornandes Borysbenem vocat) ad Tanaim, modo ultra progressi, in Romani imperii provincias irruperunt. In Chaurorum pariter et Hermundorum venisse terras, indicia extant: de illis probat Conring. de situ Helmstad. p. 57. De his, post VVolfgangum Lazium, celebrem aliqui magis, quam veracem veterum migrationum scriptorem, Rutgerus Hermannides descript. Svec. p. 16. Ut recte dixerit Augustissimus Imp. Carolus V. OMNEM FERME EVROPÆ NOBILITATEM EX SCANDIA GOTHIQUE DERIVARI. Cuius sententiae, licet paulo aliis verbis conceptae, meminit Ruyg. Hermannides p. 416. Propter hanc causam Iornandes Gothici sanguinis Nobilitatem significanter expressit, dreb. Get. p. 126.

(aa) Si quaeras, cur Danubium traiecerint, existimabo, Romanorum, qui stipendia substraxerant, avaritia inductos fuisse. Ant. Bonf. Dec. 1. lib. 2. pag. 35. Sin quaerere pertendas ubi traiecto fluvio aliquantum substituerint, cum Iornande Moesiam et Thraciam nominabo, de reb. Get. p. 95. Etiam propter Hunnorum impetum transisse, tradit Paulus Orosius l. 7. cap. 33. Atque hinc accepit Antonius Bonfinius occasionem sic laudandi Hunnos, ut plurimum detrabat Gotbis. Sed qui Iornandem evolverit, de rebus Get. p. 136. et 112. edit. Lindenbrog. credo, concedet, Hunnos in comparatione Gothorum inglorios, et meticulosos fuisse. Sed interim dabo, fortunam, ut versatilis in bello est, obstitisse quandoque Gotbis, ut revera imperante Valente principio obstitit; non committam, ut propterea aliquid Gotborum gloriae praeter meritum decedat. Quin et Hunni forsitan Gotbos Gotborum opera superant: quandoquidem constat, Ostrogothos aliquandiu prouesse Hunnis: Iornand. de reb. Get. p. 114. Contra VVestrogothi semper sui similes, nec foedere unquam neque obseqvio devinciri Hunnis volebant. Io. Magna l. 6. cap. 17. Et si fortasse superari fortuna poterant, animos tamen despordire non poterant, lib. eod. cap. 17. Inde apparet ambitio Romanorum, praesertim Constantiopolitanorum, qui GOTHICI titulum sibi per manus tradiderunt, si. vel maxime nec vidissent Gotbos, nec vicissent. Quod confirmabo ex Manuela Imp. Constantinop. edito, ex Graeco in Latinum converso ad hunc modum. Manuel in Christo fidelis Rex, porphyrogenitus (purpurigena) Romanorum Imperator, pietate praestantisimus, semper venerandus, Augustus, Isauricus, Cilicus, Armeniacus, Dalmaticus, Vncricus, Bosniticus, Crabaticus, Lazicus, Ibericus, Bulgari-cus, Servicus, Zecicus, Chazaricus, GOTHICVS, qui gubernatur ab DEO, habens Coronae Magni Constantini, et animo colens omnia iura ipsius. Conf. Ioach. Camerar. ad Nicop. Constantinop. p. 230.

(bb) Vid. Chronica Gutblandorum a Strelvio edita, sed de quibus notare operae pretium est, pleraque nomina allegari perperam, quaedam inseri nullo explo-

XXIII. RES SVEO-GOTTHICAE.

401

exploratae historiae argumento. Conf. praecipue scriptores vergentis mediique acvi, et post hos, recentiores; ex indigenis Io. Magnus, inter exterros Ant. Bonfinius iam saepe nominatus. In primis hic memorandus Theodericus est, qui quod alii Gotborum Reges destinaverant, implevit demum, et Gothos Romanosque coniunxit sub uno capite, sub uno iure. Extat eius numus cupreus in hanc rem cum inscriptione, D. N. regni eius Gotho. Romani documentum. Conf. Iorn. de reb. Ger. p. 141. Effigiem cerno insigniter Capillari argumentum, quo forsan refero quod Iornand. predidit, Diceenum Gothis Capillatorum cognomen fecisse.

(cc) Sive ob vivax ingenium, quod laudat Iornand. p. 99. sive quod otium displiceret, ut iam praediximus, sive quod regere, quam regi malent: de VVestrogothis id supra traditum, et de Ostrogothis monet Iornand. p. 129. sive quod fastum vicinarum gentium ferre non possent. Hinc veluti Symbola ipsorum fuit: NORVNT GOTHI CONFLIGERE CVM SVPERBIS: ap. eund. p. 117. Vlitionis saepe tanta vehementia fuisse proditur, ut velut insperatum fulmen ruerent percellerentque, ibid. p. 99. Nempe hi sunt illi Gothi, sub quorum dextra Vandalus saepe iacuit, stetitque sub pretio Marcomannus. Conf. scriptor rer. Ger. p. mib. 97. et ex eo Goldast. de reg. Bob. l. 1. cap. 8. p. 66. Interdum enim hos amicos sociosque, aliquando hostes habuerunt. Nec Gothi modo, sed etiam Sveones, in primis X. seculo virtutem suam in Saxonia probarunt, Abb-Stadens. ad A. 988. Abeant ergo scriptores novi,abeant, inquam, qui praeceps historiae fidem affirmant, hoc primum XVII. sec. eluxisse Svedos, et pervenisse ad fastigium Martiae virtutis.

(dd) Adducimus Iornandem dreb. Get. p. 95. 105. et 129. Iosephus Scaliger dispescit Gorbos in maiores et minores: illos primo, hos longo post intervallo Scandinaviam reliquisse confirmat. Maiores iterum dividit in Ostrogothos, qui Italianam, et VVestrogothos, qui Septimaniam Narbonensem, et postea Hispaniam incoluerunt. Can. Isagog. l. 3. p. mib. 338. Nil desidero in hac divisione, si Gothi prius in Aborigines, seu indigenas, et ab his ortos emissosque divisi fuissent. Alioqui de Minoribus porro memorat Scaliger, hodie posteritatis ipsorum vestigia cerni in Taurica Chersoneso. Assentitur Busbequius, vir ingenio perinde, ac prudentia celebratus, 4. epist. Turc. qui Getas eo migrasse quondam, non ex vano suspicatur, et vocabula ibidem nostris convenientia, allegat. Non facimus cum Chr. Ad. Ruperto, qui negat, has veterum Gotborum reliquias ex Scandinavia venisse Tauricam Chersonesum, in obs. ad Christ. Besold. Synops. Multo aliud ex Socrate, Procopio et Iornande facillime evinciamus.

(ee) Nectamen in solidum negabo, antiquis illis temporibus migrasse Sveones, ut quorum posteros fuisse Svevos, haud fas sit dubitare. Finitimos celuisse, veteres tabulae signant: propinquos fuisse, historia demonstrat. Fatoe ribilominus diversis

Eee

versis

versis saepe studiis vixisse, nec odiis modo, sed bellis etiam iniuriasque se invicem lassivisse. Qvod inter unius originis populos accidere indies videmus, et iam accidisse olim ipsis Ostrogothis et VVestrogothis, indicia extant. Tandem extinctum Sveorum, illud regnum, delatumque ad Gothos est. V. Isidorus Hispanensis in Chron. Sveorum.

§. IX. De Republica compertum habeo, Gothos Sveonesque aborigines (ff) pari iure, communique imperio et aequali libertate coaluisse, et quanquam secesserunt ab se invicem saepe, atque adeo iverunt in partes, (gg) rediisse tamen in gratiam, et coivisse incitatus rursus unius nominis sanguinisque causa. Siqve ut natione, ita animis iuncti erant, famam pariter ac regnum mutua fide copulatum victoriis amplificarunt, et munia fortissimum civium sociorumque obierunt, iis praecipue artibus, quarum religione VVODANO (hh) obligabantur. Caeteri, quotquot excitati ad migrandum commoverant se, atque discesserant in alias terras, nec sub uno capite, nec sub eodem iure fuerunt, (ii) quum sicut dissitas regiones, ita diversa regum imperia fortirentur.

(ff) Pro certo affirmat Iornandes de reb. Get. p. 99. Ostrogothos, et VVestrogothos unius Imperio subditos fuisse. Ut autem non Aborigenes intelligat, sed ab his egressos; tamen nil vetat, quo minus ab his colligamus, et statuanus convenienti iudicio de illis. Saxo Grammaticus l. 13. p. 212. edit. Francof. praerogatio nam eligendi regis tribuit Svedis, et eo privilegium afferit, et maiorem splendorem. Quae causa fuit, cur in compositione vocabuli, quod dissertationi titulum argumentumque praebet, auspicaremur a Sveonibus, desineremus vero in nomine Gothorum: Expositum enim usus civilis, ut in verborum alsoqui scorsim efferrari solitorum contextu initium a praestantiori capiatur. Ut minus recte vulgo dicant Gotthebo Sveones, quos Sveogothones pronunciare debuerunt. Sed porro videamus, an in unius populi corpus Svedi Gotthique coaluerint. Planissime praeft. Histor. cap. 2. Iob. Magnus scribit: A regnorum initio Goths et Sveci quasi in unam Rempublicam coaluerunt, quemadmodum ipsa natura in una munitissima insula, ne unquam dissentirent, collocavit. Idem l. 7. cap. 1. memorat, Vginum Gotbiam adiunxit Svediae regno. Unde observandum esse ducimus, Gotbiam antiquissimo tempore Svediae coniunctam, proprie non innexam fuisse, quum utriusque populi proceres ius eligendi habuerint, et Sveones saepe recesserint a societate Gothorum, et bi vicissim ab illis, non recessari, si coaluerint in unius populi corpore, vinculoque unius civitatis copulati fuissent. Contra quam hodie, ubi una eademque est Sveonum Gotbonumque Rempublica, nec coniunctae modo, sed insertae uni civili corpori, eoque illigatae uni regno gentes intelliguntur, intelliguntur inquam, evidentermo iudicii crux argumento. Quanquam ut olim, ita et nunc Scandinavia continet

Res

XXIII. RES SVEO-GOTTHICAE.

403

Respublicas diversas, si praeter Svediam Gothiamque comprehendat Gronlandiam, Orcades, Norvvegiam, ut comprehendere arbitratur in Schondia sua Iacobus Zieglerus, scriptor doctus et versus, idemque oriundus a Gotbis, nec imperitus Gothicarum rerum. Ac de Norvvegia omnes consentiunt, ut Io. Isaacius Pontanus, Pbil. Cluverius, Andreas Bureus, et Stiernhielmius in dissertat. de Gothis, pertinere ad Scandinaviae ambitum: Aequi Norvvegiae regnum, nec nunc, neque olim innexum Svediae est, tametsi Norvvegorum Danorumque vetustissimi reges descenderint ex-Sedis. Vid. Hermannid. descript. Svec., p. 20.

(gg) Non secus, atque proditum est de Saxonibus, prodiisse ex Dania et Nordmannis, quam veterum opinionem recenset VVitechindus Corbeiensis annal. Sax. I. de Gothis Sveonibusque indigenis, olim quandoque divisis lo. Magnus l. 5. cap. 1. et 3. et 15. De iis, qui exiverunt, Iornandes de reb. Get. p. 105. confirmat. A qvorum (Ostrogothorum) inquit, sociate iam VVesogothae decessere, quam dudum inter se iuncti habebant. Propterea p. 129. admonet, se tradidisse de Ostro- et VVestroGothis coniunctis, vel, quod ipse loquitur, qui in uno erant, et de iisdem ut divisis. Conf. pag. 114. 121. 130. 131. et 135. Unde liquet, Ostrogothos Hunnorum Imperio obnoxios fuisse, contra quam id accepimus de VVestrogothis, quos Romanorum foederatos allegat lo. Magnus l. 9. cap. 4. Ostrogothos inore Hunnorum auspicia sequutis. Conf. l. 6. c. 28.

(hh) VVodan memivit Paulus Diaconus in Hist. Longobard. l. 1. p. 189, et 199. Ab alio, ut ibidem videre est, litera augetur, ac scribitur Gvoda. Sed fallit idem, cum Mercurium interpretatur. Recilius Adamus Bremenis de seu Daniae et Septentrional. Regnorum describit per Martem, et armatum, quod Martis indicium est, sculpi solitum affirmat, refertque inter Sveonum, quos superstitione fascinaverat, Deos. Conf. Iornand. de reb. Get. pag. 86. Add. Lindenbrog observat. ad Paul. Dia. p. 342. Ad Dan. Saxo Sialandicus l. 6. p. 92. 93. ad Angt. VVilb. Malmesb. l. 1. p. 9.

(ii) Nempe socii erant, non proprie cives, foederati, non innexi vinculo Reipublicae unius. Vid. paulo ante.

S. X. Seqvitur, ut quanta Sveonum Gothorumque erga suos reges officia fuerint, exponamus. Imperia, ut colligo, venerari potius utrisque, quam abiecte timere voluerunt, (kk) institutorum, quae a maioribus acceptissent, tenaces, et quantum pro libertate soliciti, tantum abhorrentes ab impotenti dominatu. Reges ex familiis, et familiarum, (ll) et virtutis (m m) respectu eligebantur, qui non florenter pace magis, quam bello, quique aequaliter domi, fortitudinem foris approbarent. Intestinus hostis magis, quam externus odio fuit.

(kk) Insti gentibus bias mores, non pati imperium berile. Quod comprobo

Eee 2

ex

ex aliis atque eventis, et tot exemplis olim vindicatae libertatis. Paulo aliter Tacitus de ipsis: Vnus imperitat, inquit, nullis iam exceptionibus, non precario iure parendi, de mor. Germ. Multum ab eo discedit Adam. Bremenis de sit. Dan. et sept. reg. et scribit ad hunc modum: Reges habent (Sveones denotat) ex genere antiquos, quorum tamen vis pendet in populi sententia, quod in commune laudaverint omnes, illum confirmare oportet. Addit vero, nisi eius decretum potius videatur, quod aliquando sequuntur invitati. Non capio, quomodo pro illo tempore potius decretum intelligatur, nisi in quantum usu iudicioque praefiantius denotatur, quippe quod tunc omne decernendi momentum penes populum esset, ut prodidit Adamus. Quod indicio est, Tacitum in Gallia Belgica commoratum, parum forte explorasse res Sveonum, et certe nunquam pervenisse ad veteres. Scanos ac eis Baltianos. Ut parum considerati animi sit, vel sola Taciti autoritate evincere, Sveones multum abesse ab ingenio Germanico. Vult autem Pacif. a Lapide Not. in Monzamb. p. 85.

(11) *Non ex plebe; sed ex proceribus ascitos esse reges testimonio Adami Bremensis modo allegato confirmamus, quandoquidem is Sveonum reges vocat EX GENERE ANTIQVOS, idest, avita nobilitate inclusos, nec heri aut nudius tertiis imagines atque insignia adeptos. Iornandes testatur Alaricum VII regis regnum ex secunda nobilitate electum fuisse, p. 109. Prima olim et praefantissima Gothorum nobilitas erat penes Baltos, et Amalos, illi VII regis regibus, bi Ostrogothis accensabantur. Aut. Bonfinius dec. 1. l. 2. p. 33. Conf. Iornand. de reb. Got. p. 109. et 119.*

(mm) *Inniuit hoc Bonfinius Dec. 1. lib. 3. p. 47. dum tradit, Boremundum censuisse, non nisi nobilitate familiae et virtute obtineri posse principatum inter Gothos. Erit id documento existimatoribus civilium verum, sub tempore illud successionem pro maiori parte valuisse, sed renunciandi inaugurandique vim penes populum fuisse: praeterea imperii iura non libere, sed sive legibus, sive moribus aestimari oportuisset. Ex quo factum memini, quod Sveones aliquando recedenter a societate Gothorum, pertacti iis regibus subesse, qui iniurias inferrent. Io. Magnus H. l. 5. cap. 3. Conf. l. 7. c. 1. et alibi. De Gothis mirum dictu, quod Aimoinus de gest. Franc. l. 2. p. 268. edit. Hanov. refert, apud Gothos iam olim in consuetudinem vertisse, ut occiderent, si displicerent, reges. Conf. p. 376.*

§. XI. Verumenimvero, ut temporum rerumque vicissitudines sunt, ita hodiernus regni status multum ex veteri illo mutavit. (nn) Est penes regem imperandi gloria, (oo) Ordines consilium praebent, ille pacto, (pp) hi fide obligantur et parendi iure, in quantum finunt iura Ordinum, et faciae regni leges.

(nn) *Hodie longe aliter, quam olim praesunt Svedorum Gothorumque reges.*

ges. Antiquius sive immixtae successioni electio, sive creandi potestas penes populum erat, nunc mera successio, licet pacto definita, obtinet. Vulgo dicunt verus Gotobus Svediaeque regnum partim hereditarium, partim electuum fuisse, nunc mere hereditario iure atque successionis ticulo censeri. Conf. Adolph. Brahe, hist. nost. temp. ad A. 1629. Olim iura imperii penes populum fuerunt, nec divisim solum, sed etiam posteriori parte, auctore Adamo Bremense, rerum Septentrionalium perissimo, contra quam nunc reges summa rerum impositi, regia auctoritate polent, quatenus reges, imperium gerunt, licet pacto iuris iurandi religione comprehenso obligati. Tum Svedia et Gotobia ultimis retro seculis non una Republica, sed una gente continetur, non magis quam foederis vinculo copulatae, sed postea redactae in unum civile corpus: ut mutamus plura alia huius discrimine indicia.

(oo) Habet Svedia Reges, habet Monarchas non heriles, aut insolenti domino graves, sed paternos, sed moderatos, sed regnandi egregio quodam temperamento decoros. Si ardua regni definita sunt, si ferendae leges, si belli pacisve negotia tractanda, nec rex inviste Ordinibus, nec Ordines invito rege statuere possunt. Quae nota est non tam deminutae, quam temperatae maiestatis, temperatae, inquam, novissime ex pecto Carolo-Gustaviano A. cl. Ic. L. ut sua ordinibus privilegia atque actae immunitates conserventur.

(pp) Memorandas hic partiones quaedam sanctionesque Regni, 1. Gustaviana, ad hunc modum appellata a Gustavo I. libertatis Svedicæ instauratore et Sueogothicæ successioni fortunatissimo auctore, cuius extat quoque testamentum ab Ordinibus regni confirmatum, eoque ad posteritatis memoriam referendum, 2. Norcopingense decreum A. 1604 vulgo der Norcopingische Recess, cuius meminit Iacobus Augustus Thuanus de propagine Sigismundæ, nunquam propter violatam a Sigismundo fidem in Svedicæ Regnum evchenda, ad praedictum A. 1604. Atque hinc velut ex fonte manarum pacta Stundorfensi cum Polonis inita, 3. Placitum Orebroense, das Orebroische Recht. 4. Pactum, quod dicitur, Carolo Gustavianum, anno huius seculi quinquagesimo Holmiae promulgatum: quibus omnibus et singulis iuri aequo ac libertati Svedicæ provisum sapienter est. De quo nuper pulchre admonuit Iuris consultissimus Vir Ericus Mauritius, nunc Senator in Augusto, quod Spirae Nemorum est, tribunali, et quaedam de eo inseruit notis Io. Loccenius pag. 24. et 25. ad hist. Sved. Nec forte his praeter rem memorabo legem, de non ab alienando Regni Svedici provinciis portionibusque ad Patrimonium regium pertinentibus, conceptam, quam Latine reddidit Regualdus Ingel mundus.

§. XII. In extremo operis aequum est, ut CAROLO XI. iam velut in limine gloriae, accipiendo rumque Regni insignium stanti vota nucupem. Qui Svedorum, quibus Patriam debet, amor, Teutonum, quibus

angvinem, spes est, praesertim in tanto Europae, rerumque, quas optimas ducimus, discrimine. Servet hunc regem Deus, et faustum esse iubeat instantem inaugurationem, praestetque invictum, et GUSTAVIS CAROLIS- que patrem, ac dotes, quibus eminet, maximas, non Svediae modo, sed toti orbi reddit salutares.

XXIV. DE ANTIQVA SAXONUM DIGNITATE.

Omnia rerum, quas natura gignit, parva initia sunt, quae sensim multarum accessione partium augentur, et incrementa capiunt, paulatimque iuncta firmius consistunt. Non secus magni principatus, modicis quidem fundati opibus, firmati postea et vehementer aucti, suis iam et validis mole viribus sustinentur. Illi autem maxime stabiles et diuturni sunt, qui ratione et consilio vires temperant, remque publicam non magis amplam, quam tutam habent, et suas cuique fortunas ac dignitates, salvia iuris aequalitate conservant. Quae ut rara est Imperiorum felicitas, sic propria Saxonum, ac fere praecipua sunt, quorum Principes non arbitria, sed pacta semper pro legibus habuerunt.

s. II. Etenim praeter caeteros Germaniae populos summopere Saxones ab externo imperio et dominatu abhorruerunt, ac peregrini moris odio, maiorum instituta, qua ad libertatem attinebant, constanter servarunt, eaque perinde ac scriptas leges, etiam cum scriptis nondum uterentur legibus, tuenda suscepunt, atque usu confirmarunt. Ingenue Tacitus tradit, plus ibi (in Germania) bonos mores valere, quam alibi bonas leges. Non tantum apud Cattos et Batavos, quos e Belgio, ubi pro Romanis curabat, proprius vidit Tacitus, et aestimat, sed etiam apud Saxones, quamvis hoc nomine minus cognitos, rebus tamen factisque, postquam occasione data, eorum industria se commovit, neutris inferiores, et alteris fide, quod ex Marcellino liquet, alteris, quod ex Tacito, et scriptoribus aliis colligo, concordiae studio potiores, ceteraque acres semper, et bellicosos, ut vel hac de causa a multis, non sine laudis bellicae invidia, feri et feroce ac truculenti appellantur. (a)

(a) Prima Saxonum mentio est apud Ptolomeum Geograph. lib. II. cap. II. Caesar, Strabo, Meis, Plinius, Tacitus nihil de his tradunt, quod bellorum fama nondum cogniti, vitam quiete et silentio transigerent, nec Romani Imperii limitem invaderent, nec vicinos oppugnarent. Postea rebus gestis clari, atque e finibus suis egressi, Romanis causam belli, et scribendi argumentum praebuerunt. Quod